



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

26. Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

quos ille audiri iussit, nisi ubi illis obeditur, quibus ille obedire suos voluit. Calvinus artificiosè totum aut inuertit aut obscurat. Inuertit dicens, *non esse Ecclesiam ubi non regnat Deus*, quum contrà dici debeat, non regnare Deum ubi non est Ecclesia, in qua & per quam, quo ad doctrinam magisterium, Deus regnat. Per Ecclesiam quippe Deus cognoscitur, & Christus eius, & quicquid ad fidem pertinet: non autem per Deum immediatè & per se loquentem cognoscitur Ecclesia, aut aliquid aliud de fide. Non cognoscitur, inquam, ordinatio cognoscendi modo, quem Christus instituit. Rursum obscurat veritatem Calvinus, dicens, *non extare regnum Dei nisi ubi Pastoris honos Christo defertur*. Obscurat, inquam, veritatem, quia totum non dicit. Vt enim regnum Dei extet, non satis est Pastoris honorem Christo deferri, tamen Princeps Pastorum sit, imò quia princeps Pastorum est, & alios Ecclesie suae Pastores dedit, idque ut *regant Ecclesiam Christi sanguine acquisitam, quibus etià obedire & subiacere oportet*, debet præterea & aliis quoque Pastoribus honor deferri, quod qui facere detrectat, Christo iniuriam irrogat, dicenti, *Qui vos spernit, me spernit*. Quod autem de Prophetis Ecclesiam instaurantibus, quibus se ac suos similes esse Calvinus vult, iterum hoc loco suggerit Calvinus, in alio loco explicatum & refutatum dedimus. Manet ergo sana ac firma Christi sententia, *Vnum fore ouile, & unum Pastorem*, propter vnum primarium in pascendo vicarium, qui pariter cum aliis à Christo datis Pastoribus vnum istud ouile perpetuò pascat ac regat.

18. 26.

Heb. 13.

Luc. 10.

Suprà ad

Ioan. cap.

7. ver. 48.

26. *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

Horum verborum intelligentia quam tradidit S. August. *tract. 48. in hunc locum, videlicet, idcirco hos Iudæos non credidisse, quia de numero electorum non erant, nisi dexterè accommodetur, erroris causam dare, & hæresi Calvinianæ patrocinari videbitur.* Docet enim Calvinus solos electos fidei donum accipere, & reprobos nunquam credere, ac nec posse credere, non solùm quia efficaciter non vocantur, sed quia nec vocantur à Deo. Sic vniuersalem vocationem negat. *Si (inquit) diceret Scriptura Euangelium malignè & peruersè cõ-* *Institut. lib. 3. c. 2. num. 10.*
temni, quia audire pertinaciter multi recusant, valeret fortè hic color de vniuersali vocatione. Negat ergo Calvinus causam contempti Euangelij esse hominum pertinaciam credere

nolentium, & causam esse vult, quia Deus eos non vocat, sed solos electos. Hanc suam sententiam ex his Christi verbis eodem loco confirmat. Cæterum quum passim Scripturæ demonstrent innumeros vocari à Deo qui non conuertuntur (quod multis exemplis ipse Caluinus alibi demonstrat lib. eodem cap. 24. num. 13.) nec minus constet multos efficaciter à Deo vocari, conuerti, & credere, qui tamen electi non fuerunt, sed à gratia postea exciderunt (quam vnã ob causam ad perseverantiam tot hortantur Scripturæ, nec credentibus simpliciter, sed perseverantibus in fide vitam æternam promittunt) neque vniuersalis vocatio propter discretionem specialis gratiæ neganda est, nec ipsa specialis gratia vocationis efficacis ad solos electos restringenda est. Vnde etiam constat, causam adæquatam, plenam, & propriã, cur Iudæi Christo non crediderint, hanc esse non posse, quia de electis Christi ouibus non erant, sed propriam causam fuisse, quia vocati Christi audire noluerunt. Sic enim Christus probat illos non fuisse de ouibus suis, quia oues (inquit) mea vocem meam audiunt, pulsanti mihi aperiunt, præuenienti gratiæ meæ obsequuntur, hoc vos non facitis. Sic non esse vos oues meas ipsa vestra incredulitate ostenditis. Est ergo Christi demonstratio à posteriori, siue ab effectu. Ab ipsa videlicet eorum incredulitate iam per experientiam diuturna & notabili, non ab ipsa reprobatione, probat eos non esse de ouibus suis. Sic ab D. Ioanne. *In hoc cognoscimus Spiritum veritatis & spiritum erroris: quod ille audit nos, hic non audit.* Hæc igitur Christi verba nec ad omnes non credentes diriguntur (quali hæc consequentia esset semper firma, Isti non credunt, ergo sunt reprobi, poterunt quippe adhuc postea credere, sicut Saul qui Christo incredulus, ad eoque credentiam persecutor, postea tamen credidit) sed ad solos obstinatos Iudæos eorumque similes dirigitur, nec quamlibet incredulitatem notant, sed singularem, & cum magna ac diuturna pertinacia constantem. Et sic post longam & infructuosam prædicationem poterit non improbabiler de incredulis dici, Isti non credunt, quia non sunt de ouibus Christi: id est, ostendunt sua pertinaciam incredulitatem quia non sunt de numero ouium Christi. Tales enim audiunt vocem Christi, & obsequuntur Ecclesiæ Christi, quam qui audit, Christum audit.

Illud quoque in hac sententia tenendum est, Christum non excludere à numero ouium suarum nisi eos qui sua propria culpa & malitia oues Christi esse nolunt. Quod ipse Caluinus

Reprobatio
nō est propria
causa
cur quidā
non credūt.

3. Ioan. 4.

hoc loco sibiipfi in loco citato contrarius dissimulare non potuit. Ait enim *causam incredulitatis non residere in Deo, quia homines non nisi voluntaria malitia gratiam reijciunt*. Sic illa consequentia reiicienda est, Ille non credit, quia non est prædestinatus: & vera consequentia hæc est, Ille non credit, quia non vult credere, sed Dei gratiam voluntaria malitia reiecit. In his igitur verbis, *Quia non estis de ouibus meis*, intelligendum necessitati, quia vestra culpa & proprio demerito non estis de ouibus meis. Hoc supra aliis verbis apertius expressit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, id est, Dei voluntatem non facitis, sed diaboli, vnde prius dixerat: *Vos ex* Cap. 8: *patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*. Vtrobique docet Christus ideo Iudæos non credidisse, quia homines impij & pertinaces erant, ex patre diabolo non ex Deo, ideoque non ex ouibus eius sed ex hædis & diaboli grege. Hic est horum verborum germanus, plenus, & orthodoxus intellectus.

28. *Ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

Colligit ex hoc loco Calvinus, semel Christo per fidem incorporatos, à salute excidere non posse. *Incomparabilis* (inquit) *fructus hic fidei est, quod certos ac securos esse nos iubet Christus, quæ fide in suum ouile sumus aggregati, & paulò post: Insignis locus, quo docemur non minus certam esse electorum salutem, quam inuicta est Dei potentia*. Inter has duas Calvinus Cõtra certitudinem gratia ex sola fide. propositiones magnum discrimen est. Posterior quippe propositio vera omnino est, & illa ipsa quam Christus hic docet, *de ouibus suis, id est, de electis suis loquens, quæ audiunt vocem eius, & ille cognoscit eas, ipse quoque sequitur eum*. Tales oues, tales electos, nemo rapiet de manu Christi. Quia nimirum perpetuus eorum custos, adiutor ac defensor Christus est. Ius Sap. 3. *Iustorum enim anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace*. Habet quidem diabolus varias nocendi artes, habet & mundus: ab vna quidem parte tyrannos armatos, præfectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, virgas, secures, eculeos, exilia, mortes (quæ omnia & singula tormenta experti sunt hodie Sancti in persecutione Anglicana) & quicquid præterea constantibus animis terrorem solet immittere. Habet ab altera parte voluptates, honores, dignitates, & quicquid animos